


37





12

DISSERTATIO MEDICA INAUGVRALIS
DE
FEBRE NERVOSA LENTA

* * * * *

QVAM
PRAESIDE
MAGNIFICO ACADEMIAE RECTORE
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,
PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE,
ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,

D. OCTOBRIS CIDICCCXC.
PRO
GRADV DOCTORIS MEDICI
SVMMSQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS
IMPETRANDIS

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

ISAAC LEVI,
REGIOMONTANVS BORVSSVS.

TRAIECTI AD VIADRYM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
FERRE NERVOZA LENTA

AVIA
PRÆSIDE
MACCABIGIO ACADEMIÆ RECTORIS
PETRO IMMANUELIS HARTMANNI

AVIA
PRÆSIDE
MACCABIGIO ACADEMIÆ RECTORIS
PETRO IMMANUELIS HARTMANNI

D. OCTOBRE MDCCCX
GRADU DOCTORIS MEDICI

SYMMONIS IN AUTE SALVARI HONORIBUS
IMPLETUM

FRIDRICH WAGNER

AVIA

I S A L C I B A I

ALCOHOLICIS

TRACTATI AD PARSUM
E. TYPOGRAPHIS NITZSCHING



CLARISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO
MARCO HERZ

MEDICINAE DOCTORI, PROFESSORI PHI-
LOSOPHIAE, ET NOSOCOMII IVDÆI,
QVOD BEROLINI EST, MEDICO,

VIRO
DOCTRINA ET FAMA ET MERITIS
MAXIME CONSPICVO
HANC DISSERTATIONEM
CEV
VENERATIONIS PIETATISQVE SVMMÆ
PIGNVS

OBSERVANTISSIME

CONSECRAT
AVCTOR.



CLARISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

DOMINO

MARCO HERZ

MEDICINAE DOCTORI, PROFESSORI P. P.

LOGICAE, ET HISTORIAE NATURALIS

PROFESSORI, ET MEDICO

VIRO

DOCTRINA ET FAMA ET MERITO

MAXIME CONSIDERO

HANC DISSENTATIONEM

EX

UNIVERSITATE WITTENBERGENSI

PUBLICAVIT

CHRISTIANUS HERZ

CONSECRAT

ACTOR





PRÆFATIO.

Legibus gratiosæ Facultatis medicæ satisfactorius, de febre lenta nervosa simplici paucis differere statui; tum quod parca librorum meorum supellex huius morbi tractationi sufficeret, tum vero quod materies mihi videretur haud indigna, quin, pro specimen iuagurali, publico submitteretur iudicio. Nil equidem habeo, quod e proprio observationum penu depromptum, no-

A 5 uum,

uum, inexauditum, nec alius antea dictum ore, proponam. Quamuis enim, Berolini viuens, exercitationibus clinicis diligenter solerterque adfuerim, nulla tamen erat copia, aegros hoc morbo decumbentes uisitandi, dum, quotquot Institutum clinicum intrarent, febribus affecti essent intermittentibus, hydrope, scabie, aliisque a viscerum obstructione prouenientibus malis. Quae ergo apud auctores huius morbi haud ignobiles, MANNIGHAMVM*) puta, WILLISIVM**) LANGRISHIVM ***) GILCHRISTVM †) HVXHAMVM ††) GLASSIVM †††) SIMON HERZ ††††) aliosque dispersa leguntur, in vnum quasi focum collegi; hisque ut sis contentus, L.B. nec magis ad rem, quam ad methodum tractandi, num scilicet omnia sint rite, distincte, iustoque ordine proposita et explicata, respi-

*) *The symptoms, nature, causes and cure of the febricula or little fever*, Lond. 1746.

**) *Opp. omn.* Amstel. 1672. p. 45. path. cerebr.

***) *Theoretische und praktische Abhandlung über die Fieber*, a. d. Engl. Berlin 1790.

†) *Medicinische Versuche und Beobachtungen*.

††) *Opp. physico-medica cur.* REICHEL, Tom. II. Cap. VII.

†††) *Comment. XII. de febribus*, cur. BALDINGER, p. 94.

††††) *In tract. de febribus nervosis*.

respicias, modeste, viriumque tenuitatis memor enixe rogo. His ergo praemissis atque praemonitis, me ad ipsam tractationem accingam; quam ea vero perfequar methodo, ut primo historiam morbi, tum quae ad diagnosis faciunt, prognosinque, causas denique cum extispiciis, et ultimo loco curationem, indiciis rationalibus superstructam, accurate quidem, at breuitatis studio, aphoristico fere sermone, tradam. Lex enim est gratiosae Facultatis, non ut librum multis paginis absolutum, sed specimen tantum aliquod exhibeam; quo, quibus intersit, perspicere possint:

quid valeant humeri, quid ferre recusent.

HORAT.

DISSER-

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
FEBRE LENTA NERVOSA SIMPLICI.

§. I.

Historia morbi.

Morbus obrepit cum leui vagoque horrore, incerto quodam et errante calore intercurrente, oscitatione frequenti, lassitudine, animi deiectione, insolitaque pigritia, et omnium rerum taedio, ita vt nec loqui, nec moueri aegris placeat. Accedunt praeterea, praecordiorum oppressiones, nausea, vomituriones, vomitus materiae pituitosiae, insipidae s. acidae, ciborumque fastidium, absque siti vero notabiliore. Pulsus hoc tempore mire variabilis, nunc celer, debilis, inaequalis, nunc fortis et plenus, mox vero tardus, intermittens, minimeque constans; caput grauiter dolet cum sensu frigoris, in postica maxime parte, atque non raro in vertice ad futurae coronariae longitudinem; vertigine tentatur aeger, nunc lecto se committit, nunc vero surgit, mite-

mitescensque symptomatibus ambulat, ita ut se nec aegrotare, nec recte valere putet. At paruum quidem remissionis intervallum; aliquot enim horis praeterlapsis, maximeque ad vesperam omnia exacerbantur; pulsus fit celerior, respiratio adest anxiosa, crebrisque suspiriis interrupta, facies languida, pallida, tristisque euadit. Hoc morbi stadium praecedens, mite facile praeteritum, quinque vel sex dierum spatium complectitur.

§. II.

Post hoc, somnolentia vexatur aeger affidua, somno licet haud sequente, et quamvis adstantibus nonnunquam dormire videatur, ipsemet tamen semper negat. Genis rubentibus, pulsus ictus accelerantur, dum interim nasi apex, auresque frigent, et sudor glutinosus frigidiusculus e fronte manat. Lingua a naturali statu parum abludens, mucosa obducitur crusta, et urina plerumque est tenuis, limpida, nonnunquam nil demittens, quandoque autem optima facie critica, absque ullo symptomatum leuamine. Circa nonum diem, capitis dolor et grauedo augetur cum aurium susurro et tinnitu, delirium praesagiente, quod non ferox, sed placidum, murmurans, cum laborum, manuumque motibus coniunctum est, quasi flocculos legeret aeger, vel muscas caperet. Anxietates, pectorisque oppressiones magis urgent; lingua nunc arida est et fissa et discolor, malorum aurantium ad instar tincta; debilitas maxima, ita ut

B

se

se nec erigere valeat sine animi deliquio vel prorpente frigido sudore, lingua artusque tremant, tendines subsiliant, oculi tristes, fordidi, lucem fugientes et mentis mira confusio adsit et perturbatio; cum terrore expergiscat, dein sui memor in pristinum relabatur delirium.

§. III.

Circa vndecimum diem, deglutitio difficilis, singultus, sudor copiosus, viscidus, non leuans, vti et diarrhoea serosa, plumbea, nigra, colliquans, vnguium pallor seu lior, aphthae nigrae, perechieae liuidae, miliaries haud criticae, pulsus debilissimi, vermiculares, extremitatum frigus, stupiditas cum surditate; alui, vrinae lacrymarumque inscia et involuntaria profusio, et tunc coma, aut conuulsiones vniuersales, quibus omnis tragoedia finitur.

Diagnos.

§. IV.

Historia morbi peracta, nunc quae ad diagnosin faciunt, exponamus. Quo vero clarius et ex ordine munus exsequamur, haud vlla nobis alia methodus arridet, aequae ac illa, secundum quam progressi, regulas quasdam generales, easque paullo post vberius, copiosiusque explicatas, exhibemus. Sed ad rem.

§. V.

§. V.

Diagnofis huius morbi ergo petenda, primo, e *negatiua febris lentae neruofa idea*, nempe, quod neque fit inflammatoria, neque putrida, neque gaſtrica, nec alia quaecunque.

§. VI.

In *inflammatoria* enim conſtitutio corporis robuſta ac ſenſilis, calor per totum corpus aequabiliter diffuſus, vires bonae, pulſus durus, plenus, celer, lingua arida cum ſiti, corripit ſubito, hyemis maxime tempore, exaeſtuatione, refrigerio, haemorrhagiis ſuppreſſis, vita lauta et exercitata, irritationibus, vel aliis quibusdam cauſſis manifeſtioribus praegreſſis. Haec contra obrepit lente, variisque ludens aegritudinibus, ita vt neque ſanus homo, neque aeger eſſe videatur, in conſtitutione debili nimiaque ſenſibilitate praedita, cum horroribus vagis, calore fugitiuo et inaequali, vt partibus quibusdam ferueſcentibus, aliae ſint contra frigidae, lingua arida ſine ſiti, vel cum ſiti humida, viribus proſtratis, ſtupore, pulſu debili, intermittente, vermiculari, tempeſtate humida et frigida, moerore et triftitia, victu prauo, crudoque, haemorrhagiis, vel aliis euacuationibus nimis praegreſſis.

§. VII.

Continens putrida, initio praefertim, quandam cum noſtra alit ſimilitudinem, ita, vt alteram cum

B 2

altera

altera permiscerent veteres, primusque, quantum equidem scio, Exp. LANGRISH, postque eum Cl. HUXHAM magnae illius differentiae inter putridam malignam et lentam nervosam febrim mentionem facerent, magno sane artis emolumento, cum defectus huius distinctionis in curatione, maximis saepius erroribus ansam praebuerit.

§. VIII.

Binae vero haec febres, tum ratione causarum, tum symptomatum maxime inter se sunt diuersae.

§. IX.

Calida enim, inquit cl. HUXHAM, acria, salina, volatilia, et aromatica alimenta et medicamenta, aer admodum aestuans, inclusus, animantiumque exhalationibus inquinatus, carniū abusus et contagium, putridam malignam producere possunt febrim. E contrario frigidae, aquosae, glutinosae, mucilaginosae res, ut sunt cucumeres et melones, crudi fatui fructus, vappidi liquores, frigidus nebulosusque aer, ceteraque lentas nervosas febres excitant, et ita quidem, ut tempore, quo epidemicae grassantur, homines vino, victuque lauto utentes, ab iis immunes et liberi, quid? quod omnino sani vivant atque permaneant.

§. X.

§. X.

Ratione symptomatum, multa initio quidem sunt ambabus communia, ut horror, calorque maior vel minor, lassitudo, animi deiectio, cephalalgia, nausea, vomitus, vertigo, turbatus pulsuum ordo, spiritus difficilis, vultus squalidus et lugubris, urina limpida, linguae albedo, multaque alia, quae accurato naturae veroque obseruatori neuti quam imponere possunt; vti nobis, vnumquodque seorsim intuentibus, facile apparebit.

§. XI.

Horror enim in putrida vehementior, vti et calor, quippe qui est acutus, quasi que mordax, et per totum corpus aequabiliter diffusus. In nostra vero omnia contraria, horror leuis et vagus, calor fere naturalis, vel inaequalis, ut, quum genae rubeant, nasi apex et extremitates frigescant.

§. XII.

Lassitudo, virium prostratio, summa debilitas, animique abiectio, statim ab initio in putrida, subito, maiorique gradu, quam in febris lenta nervosa obseruantur.

§. XIII.

Cephalalgia quoque mox ab morbi accessione in putrida longe grauior et vehementior, in tempore altero vel vtroque, aut interdum super alterum

vel utrumque supercilium, saepius vero in infima oculorum orbita sedem figens; quum in neruosa, non nisi dolor quidam obtusus, a torpore, qui a frigore prouenire solet, parum abludens, ad occiput, vel ad futurae coronariae longitudinem saeuens, animaduertatur.

§. XIV.

Nausea et vomitus in lenta neque adeo vehemens, neque frequens, ac in putrida occurrit. In hac enim cum dolore, ardore, et quasi quodam ponderis ad praecordia sensu, vna cum singultu molestissimo, eodemque propemodum assiduo superingruit, quod vero reiiicitur, coloris est nigri et porracei, foedumque spirans odorem. In lenta vero, quamuis vt plurimum nauseant aegroti, nihil tan en, nisi pituitam inspidam, seu acidam, eamque parua tantum copia ore reiectant.

§. XV.

Quod ad turbatum pulsuum ord' nem pertinet, ii quidem in putrida febre sunt magis tensi et duri, quumque debiles euaserint, mira tamen gaudent celeritate; qui vero quomodo se habeant in lenta, e morbi historia fat abunde patet.

§. XVI.

Spiritus difficultas magna quidem saepissime in neruosa, eadem vero non assidua, facileque reuertens,

tens, ut in singultu quodam vel suspirio potius consistere videatur. In putrida vero, si respiretur laboriose, cum frequenti id fit singultu, spiritus ardet, et ob foetidissimum, quem spargit, odorem, valde molestus offenditur adstantibus.

§. XVII.

Nec vultus eadem omnino ratio. In nervosis enim moestus est potius, et cum pallore lugubris, quum in putridis fit squalidus et decolor, et maculis quodam modo interstinctus.

§. XVIII.

Vrinae quoque facies in utraque diuersa. Quamuis enim in nervosa saepissime pallens atque limpida, saepius tamen vino, vel cereuisiae secundariae, vel lactis sero, ad colorem similis est, neque aliquid in vasis fundum demittit, vel, si quid subsidet, materies quaedam est laevis, furfuri similis, eique dispersa innatans. Ecce! vero in putrida, quae fuit urina initio morbi limpida, cruda, pallida et vappidata, morbo iam prouectiore mutatur, et tandem lixiuum merum, sanguisque striis interstinctum repraesentat, nihilque omnino ad vasis imum deuehit, nec quidem nubeculam suspensam ostentat; paulatim vero magis atra, cereuisiam refert male coloratam, graue olet, et interdum penitus nigra est; cui vero in nervosa nihil confimile intercedit.

§. XIX.

§. XIX.

Nec, quae linguae conditio in vtraque occur-
rat feбри, silentio praetereundum. In putrida quippe
ineunte, albescens est, et satis humida; eadem pro-
cedente atra redditur et liuescit; sub morbi vero ac-
men valde arescit, rigescit et nigrescit, seu malum
punicum colore refert. In nostra e contrario raro
decolor est, mucō tantum tenui albescente aliquando
oblinitur, dein rubet, inque rimas quasi fatiscit,
oreque exerta magnopere tremiscit.

§. XX.

Quibus si dissolutionis signa addas manifesta,
scilicet, excretiones foetidas, oculorum, dentium,
labiorumque sordes, meteorismum, petechias, vi-
bices, haemorrhagias, et alia quaecunque in putrida
feбри obuia, non fieri potest, quin in morbi vtrius-
que diagnosi dubius haesites. Humorū enim pu-
tredo lentae neruosae naturam minime constituit,
vt fusius demonstrauit cl. LANGRISH a), quamuis
obuenire possit quandoque, vt haec cum illa com-
plicetur; at tum vero nec sic acute decurrit, nec
pulsus celeritas adest, nec calor ille mordacis sen-
sus, vel paroxysmorum vehementia. En verba cl.
НУХНАМИ: „alteram cum altera misceri posse saepius-
„que vere esse mixtam, pro certo habeo; scilicet
„sanguinis valde acris statum cum valde debili et re-
„laxato vasorum systemate conuenire posse, et hoc
sefe

a) *The modern theory and practice of physic*, p. 330.

„sefe non tanta violentia prodere, quam si vis mo-
 „vens et vasa ipsa fortiora atque magis elastica, ac
 „ad morbidorum acrium salium stimulum caeteraque
 „suscipienda sint proniora, ideoque magis lente pro-
 „gredi reor, licet pari ratione sit mortiferum“ *b*).

§. XXI.

De gastrica vero nil habeo, quod moneam,
 quum toto, vt aiunt, coelo a nostra sit diuersa, for-
 diumque in primis viis hospitantium, nunc supra,
 nunc infra vero turgescientium, signa, ita sint mani-
 festa, vt nec difficilis sit cognitu, nec metus
 adfit, ne cum nostra confundatur, vel misceatur;
 quod et de hectica et phthifica dictum esse velim.

§. XXII.

Secunda porro diagnoseos nota, haec est: vt
symptomata nervosa nec inter se, nec causis manifestis
respondeant; cuius rei contrarium vero de ceteris
 febrium generibus valet. In inflammatoria enim
 cutis ariditas cum siti, vires cum pulsu, et sic cetera
 inuicem sibi conueniunt. In nostra vero singula
 quaeque sibi repugnant et contradicunt; adest enim
 morbi sensatio absque phaenomenis externis, que-
 relarum defectus et indifferentia, licet symptomata sint
 minantia, insomnia absque febre et dolore, et multa
 eius generis alia, vt perhibet cl. SELLE, in immor-
 tali suo opere cui titulus: *rudimenta pyretologiae*.

§. XXIII.

b) *Opp. physico-medica, cur. REICHEL Tom. II.*

§. XXIII.

Pro tertia denique diagnoseos nota *stadium illud prius, antecedens, miteque habetur*, quod in nervosis acutis, eodem Illustriss. viro adnotante, desideratur.

Prognosis.

§. XXIV.

Boni ominis sunt: si delirium leve, vires non admodum fractae, pulsus adhibitis cardiacis fiat plenior, maior, fortior, constantior; si circa nonum, decimum vel duodecimum a decubitu diem, lingua fiat humida, sputa vberiora fluant, alvus leuiter laxetur, calor atque sudor lenis, per totum corpus aequabiliter diffusus, oboriatur, saluatio sine aphthis, vel eruptio miliaris non praecedente profuso sudore adsit; tunc enim bona crisis expectanda. Quorsum etiam spectant sequentia; si pustulae latae occupent labia vel nares, abscessus aurium atque surditas in fine morbi superueniens, dummodo cetera respondeant, urinae porro crassae, stranguriosae, turbulentaе, et exteriorum gangraena, cum febris immutatione, et capitis, pectorisque leuamine.

§. XXV.

Infaustam vero dant *prognosin*: delirium ultra quartum diem perdurans, tranquillum, cum labiorum, manuumque motibus, oculisque intentis, studiose

diöse quasi aliquid intuentibus, coniunctum, animi porro deliquia cum frigido sudore, pervigilium, tendinum subsultus, manuumque vel linguae tremores, diarrhoea colliquans cum pulsu debili, coecitas, deglutitio impedita cum singultu, sudores ex capite, ceruice, et thorace, pedibus cruribusque sicciorebus et frigidis, pulsus tremulus, undosus, intermittens, stupor atque surditas, repens inter sudores horror, pustulae miliares, vel petechiae copiosae, e regimine calefaciente vel materiae morbificae copia natae.

§. XXVI.

Mortem denique instantem et ineuitabilem pronuntiant: extremitatum frigus, unguium pallor vel liuor, itemque faucium, petechiae liuidae, aphthae nigrae, quandoque virides c), diarrhoea plumbea, nigra, colliquans, haemorrhagiae, fecum, urinae, et lacrymarum inuoluntaria profusio, denique coma vel conuulsiones vniuersales, quibus vita finitur.

C a u s s a e.

§. XXVII.

Inter febris lentae neruosaе causas militant omnia, quae solidorum imbecillitatem, sanguinis discrasiam serosam, et praeternaturalem sensibilitatis vel imminutionem, vel aucionem inferre valent. Quorsum spectant

C 2

§. XXVIII.

c) MEZA *compend. medic. pract.* Fasc. I.

§. XXVIII.

Primo, *aër humidus et tepidus*, cuius ad hanc febrim producendam tanta est vis atque potestas, ut illam endemiam et epidemicam efficere valeat. Lentae febres, ait cl. CLASS, in regionibus minus aestuantibus, constitutione humida, circa loca vliginosa frequentissimae sunt; cui consentit quoque cl. HVXHAM, humida, inquam, tepidaque atmosphaerae catastaticas fibras relaxat nimium, vim vasorum enervat, sanguinem debito solutiorem, pituitosum, intertem facit, totumque corpus hebes, humidum, languidum, febribus lentis putridis, intermittentibus longis, obnoxium; et alio loco: Quam pluvia fuerit, quam squalida tempestas nuperis annis, nemo non novit; et totum annum 1734. et 1735. inter perpetuas pluias et continua quasi diluvia contriimus; nec laetis nos solitisque radiis illustravit sol aestivus, nec purgavit aërem hiemale gelu: depluit aestate tota, depluit et hieme, dum aer interim, mutata quasi prorsus natura rerum, fuit mire quidem tepidus ac humidus maxime. Hinc lentae et nervosae febres, ac remittentes et intermittentes fuere frequentissimae. Nec ceteri dissentiunt epidemicorum morborum scriptores, nuperrimeque suam quoque adiecit auctoritatem cl. WEICKARD.

§. XXIX.

Secundo: victus praeus, aquosus, maleque autriens, melonibus praecipue cucumeribusque constans,

stans, inter causas refertur, quum paucissimi, praeter infimum hominum genus, ab illa corripiantur, nec vllum vino cibisque lautis vntem visa sit occupare. Omnia enim, quibus fruimur, alimenta, vel refrigerantis sunt, vel excitantis naturae. Ad priora omnes pertinent herbae fructusque subacidi, et aquosi, vt mala, pira, pruna, cucumeres, melones, lactuca, spinachia, et alia, quorum succi maxime sunt apti, ad bilis acritudinem obtundendam et sanguinis spissitudinem inflammatoriam diluendam, et omnibus conueniunt constitutionibus, quibus strictior corporis habitus, et fibrae tensae, elasticae, cum sanguine copioso et denso. Laxis vero et phlegmaticis, quibus bilis iners, viscida, et deficiens, magni sunt detrimenti maximeque noxii, quum circuitus humorum inde magis retardetur, solida nimis laxentur, et sanguis pituitosior, aquosior, vappidiorque reddatur. Hinc secretiones imperfectae, bilis inertior, spirituum depressio; saliuam in merum vertitur mucum, digestio perturbatur, et frigus, pallor, cacochymia, febres remittentes, intermittentes, lentaeque neruosae nascuntur.

§. XXX.

Eadem prope ratione cetera se quoque habent, quae inter febris huius causas recensentur. *Moeror et tristitia*, quibus spiritus animales maxime deprimuntur, *euacuationes nimiae, largus mercurii vsus, venus immodica et haemorrhagiae* quidam inducunt.

ducunt aliud, nisi summam debilitatem, cachexiam et spirituum ataxiam? Maxima quidem est similitudo, adnotante cl. LANGRISH, febrim inter nervosam, et symptomata animalis, e nimia sanguinis profusione morientis, ob convulsiones puta, tremores, tendinum subsultus, multaue alia, quae systematis nervosi laesionem sequuntur.

Extispicia.

§. XXXI.

Causis huius morbi, tum occasionalibus, tum proegumenis pro virium tenuitate absolutis, quid cadauerum docuerint sectiones breuiter adiiciam. Sed praeter WILLISIVM et cl. HOMB nullum circa hanc rem occupatum fuisse reperio, cel. quippe MORGAGNI, quamuis morbi alicuius ad nostrum, vti conicere licet, omnino referendi, mentionem fecerit d), nullam tamen sectionem exhibuit. Procedamus ergo, quae apud istos nec ignobiles nec minoris famae viros reperiuntur, relaturi.

§. XXXII.

Sectio I. Ventrem itaque inferiorem, puellae hac febre extinctae, WILLISIVS e) aperiens, omnia, quae in eo continentur, viscera, satis sana et sarta tecta inuenit. Ventriculus, licet inani vomitione crebro

d) *Epist. VII. artic. 16.*

e) *De morbis convulsivis Cap. VIII. pag. 51.*

bro laceffitus, nihil praeter liquorem, nuper ore ingestum, continebat: etenim neque in ipso, nec in appendice eius lumbrici, aut acres humores reperiuntur. *Intestina tenuia* pluribus in locis mutuo inuoluebantur: nempe partis vnus superficies conuexa, in alterius Concauam, tamquam in vaginam, fuit intrusa, et alte recondita; quod quidem a viscerum istorum motibus conuulsiuis omnino contigisse arbitratur auctor. *Thorace aperto* pulmonum parenchyma valde rubicundum, et velut cruore suffusum, immo in quibusdam locis quasi liuidum et fere nigrum apparebat; ex eodem, vbiuis discisso, ichor tenuis et spumofus exsudabat. *Caluariae* vero ossa amota, statim vasa, meninges perreptantia, sanguine plurimum turgescere, quasi fere tota cruoris massa in capite accumularetur: venis enim circa viscera imi et medii ventris sectis aut disruptis, parum sanguinis effluxit; porro membranae istae, quae cerebellum inuestiunt, atque altius instratae ipsum a cerebro diuidunt, sanguine plurimis in locis extrauasato suffusae, colore atro, purpureo, insigniebantur. Integumentis hisce ablati, cerebri substantia prorsus madida et humore aquoso supra modum irrigata videbatur: quinimmo eius cortice exempto, ventriculi omnes aqua limpida erant repleti: cuiusmodi lucidi liquoris, plus quam librae semissem eximere licuit. Haec WILLISIVS: quam vero Ill. H O M E cadauerum faciem inuestigando reperit, nunc paucis videamus.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Sectio II. f) Pedes aliquis nomine DVR-
HAM, quum per mensem aegrotasset, in nosocomio
aperiebatur. Omnia remedia in cassum tentata erant
ad valetudinem eius restituendam, si pedum exipias
fomentationem, quae vero denique sine fructu etiam
effectuque adhibita erat. Excrementa per quatuor-
decim dies inscio penitus prodierant, et quatuor vel
quinque ante obitum dies aeger de magna spiritus
difficultate querebatur. *Thorace aperto* pericardium
aqua repletum, et in cordis ventriculo dextro poly-
pus crassionis consistentiae, libereque, ut videba-
tur, fluctuans, conspiciebatur. Pulmones non in-
flammati quidem, at multo sanguine turgidi. In
abdomine vero se oculis obrulerunt sequentia: pars
hepatis concava plumbeo et nigro affecta colore;
vesicula quidem fellea excepta. Interior ventriculi
membrana valde inflammata et decolor. Intestina
tenuia multis inflammata locis, excrementisque pe-
nitus vacua. Qui primo intuitu adeps iis circum-
positus videbatur, nil erat nisi aqua, cellulosis hae-
rens interstitiis.

§. XXXIV.

Sectio III. g) Eques aliquis, per idem tern-
pus ac prior decumbens, cultro anatomico subiicie-
batur.

f) НОМЕ *medizinische Beobachtungen und Versuche, a. d. Engl. von
Königsdörfer, Altenburg 1768, p. 8.*

g) *ibid. pag. 10.*

batur. Febris incefferat cum vomitu et alui fluxu, emeticis, clysmatibusque facile cessante. Antimonium diaphoreticum, parca dosi adhibitum, optime profuit. Aeger tum ambulans adhuc, de leni tantum capitis dolore querebatur; donec in nosocomium receptus, postquam biduum maximo languore transegisset, convulsionibus correptus, diem obiit supremum. Ventriculo medio et inferiore aperto nil praeternaturale occurrit, nisi quod pars hepatis concava, eadem ac supra ratione, plumbeo tincta esset, quod et in altero paucos dies ante lustrato cadauere auctor inuenit. In vtriusque cerebri lateris ventriculo, sanies viridis, vel crassa, vel tenuis, quatuorque circiter libras pondere aequans, contenta erat, cuius et in cerebello parca copia.

§. XXXV.

Sectio IV. h) Viscera abdominalia nil praeternaturale ostenderunt. Lobus pulmonum finister in infima parte aliquantulum inflammatus. Nec cerebrum aliquid morbofi habebat, nisi quod in eius ventriculo binae circiter unciae feri continerentur.

§. XXXVI.

Sectio V. i) Vasa cerebri sanguine turgida. In thoracis cauo libra circiter vna humoris effusi. Pulmones liuidi, eorumque praesertim lobus finister,

ex

h) HOME *clinische Versuche, Krankengesch. u. Leichenöffnungen*, p. 28.

i) *ibid.* pag. 29.

ex quo parca etiã puris copia exprimebatur. Intestina diuersis locis peritonæo adcreta; hepar solito maius; ren sinister aliquo pure scatebat.

§. XXXVII.

Se&ia VI. k) Vasa cerebri sanguine insolito more distenta erant. Pulmo vterque valde inflammatus, sinister vero, ad pleuram et diaphragma adcretus, minor, quam esse consuevit, habituque mollis apparebat.

§. XXXVIII.

Se&ia VII. l) Nec in capitis, nec thoracis, nec abdominis cauo, se morboſi aliquid vel præternaturalis manifestabat.

§. XXXIX.

Se&ia VIII. m) Vasa meningum, multo sanguine distenta. Medullari cerebri substantia discissa, crebra eaque rubra puncta apparebant, plexusque choroideus leuiter inflammatus erat. Intestina ab excrementis, in recto penitus obduratis, multum distenta. Hepar cum liene colorem liuidum referebat, cuius ceterum nec magnitudo, nec tenacitas mutata erat. Ren sinister inflammatus valde et laxatus.

§. XL.

b) н о м е pag. 30.

l) *ibid.* p. 31.

m) *ibid.* p. 32.

§. XL.

Vides L. B. quam diuersa cadauerum hac febricula extintorum facies; nec inde aliquid vel ad morbi naturam illustrandam; vel ad curationem dirigendam deduci posse, quum difficile sit cognitu, an ea, quae in cadaueribus reperta erant, pro morbi causa vel effectu haberi debeant: quod de plurimis quoque extispiciis valet. En auctoritatem cl. SELLE:
 „Nec cadauerum sectiones certum quid de morbi natura exponunt. Causae enim quodammodo effectus, rarissime vero ipsius naturam ostendunt, atque nil, vel parum ad medelam spectans docent, dum externa cadaueris partium facies saepius in diuersissimis morbis vna est eademque, neque simplex adfectus ad morbi naturam conclusionem admittit.“

C u r a t i o.

§. XLI.

Pervenimus nunc ad id, quod cardo est totius medicinae; nempe curationem, quae sequentium quidem indicationem sedula obseruatione absolui debet.

- I. vt causas occasionales et praedisponentes auferamus.
- II. vt naturae labantis vires sustineantur et excitentur.
- III. tum dirissimis quoque symptomatibus, iisdemque periculosissimis succurratur.

D 2

§. XLII.

§. XLII.

Quod primam indicationem attinet, variat medela pro stimulo, variaque eius sedes. Eni quae sibi regulam posuit Ill. MAXIMIL. STOLLN): in sanandis morbis nervosis „omnem operam ea in re con-
 „sumendam arbitrabor, inquit, ut quis stimulus fi-
 „bras irriter, motuumque anomalias causet, et quo
 „positus loco is sit, quae ratione, an ferendus,
 „investigarem. Exterminato enim seditionis auctore,
 „quidquid antea turbarum nervos commouerat, totum-
 „que suapte iam conquiescit, aut facili modo, atque
 „ipso tempore mitigatur.“ Hinc si epidemicae
 grassantur hae febres, tempestate humida et frigida,
 interque homines, prava vrentes diaeta, vel ut pau-
 cis rem verbis absoluam, regnante constitutione
 pituitosa, i. e. si pituitosa febris nostram praecedens,
 eius stadium prius miteque constituar, qualia nobis
 suppeditarunt exempla immortalis nominis viri cl.
 HVXHAM, GLASS, HILLARY etc.; tunc cito de
 primarum viarum collubiei expulsionem cogitandum,
 quod resolventibus praegressis, emetico, vel si infra
 turgeant impuritates, leni catharsi, optime perficitur.
 Hinc laudes, quae emeticis passim persoluntur! hinc
 de gastrica nervosae origine opinio, quam strenue
 tuebantur HVXHAMVS, GLASSIVS, nouissimisque
 temporibus cl. SIMS o) et GVILH. GRANT p) Angli.

§. XLIII.

n) Rat. medendi, Pars II. p. 137.

o) IAC. SIMS'S B-merk üb. epid. m. K-ankb. a. d. E. von Möller S. 150.

p) GRANT'S Beob. üb. die Natur u. Heilung der Fieber, a. d. E. S. 168. 170.

§. XLIII.

Quibus vero quamuis aduerferentur Exp. SELLE *q*)
 et RAHN *r*) primarum viarum colluuiem quandoque
 sese offerentem, ad morbi potius effectum, quam
 causam referendam esse, aestumantes, in earum
 tamen sententiam pedibus ire summopere haesitamus,
 volentes quippe animo, quae cl. CLASSIVS summo
 ingenii acumine, atque experientiae observationis-
 que auctoritate nixus, proposuit argumenta. Legat,
 cuius interest, descriptiones auctorum, procedat ea
 ipsa via, symptomata et causas conferendo, quam
 inculcarunt viri supra laudati, et profitebitur, quod
 pronunciauit vir Hippocratica imbutus doctrina, se-
 quentibus verbis: „Cum affectus a superioribus no-
 „stris pituitae corruptae adscripti, et ex eadem occa-
 „sione ortum ducant, et idem genus hominum corri-
 „piant, et eadem accidentia habeant, atque febres
 „neruosae, vel saltem ea ipsa, quae has ab omnigenis
 „aliis maxime distinguunt; siquidem praecordiorum
 „afflictio, cordis oppressio, pulsus parui et obscuri,
 „corporis subita impotentia, animi marcor, et in de-
 „sectionem procliuitas, sensuum tarditas, febres debi-
 „les, diurnae, periculosae, vrinae crudae pallidae,
 „phlegmaticis pariter atque neruosis febribus iuxta
 „communes sunt; aequum est igitur, vt concludamus,
 „haec nomine tantum, non re differre; et si quam dif-
 „ferentiam aliquando exhibeant, eam quidem ex re-
 „gione,

D 3

q) SELLE rudimenta pye ologiae, p. 325.

r) RAHN Aduersaria medico practica, p. 306, 307.

ngione, consuetudine, vel omnium maxime a curatione
plane diuersa, oriri verisimile est. s)

§. XLIV.

Cuius vero sententiae non leuioris momenti res est, magnamque adiicere valet auctoritatem obseruatio, quod pituita tenax, viscida, primisque impacta viis, affectionis hypochondriacae causam occasionalem constituat t). Quid enim aliud nobis hypochondriacus morbus, nisi chronica neruorum affectio? quid neruosa febris, nisi idem acure decurrens morbus? Iam vero chronicos occurrentes morbos ad febrium doctrinam reuocandos esse, edocti sumus v).

§. XLV.

Multum vero absit, vt emeticis et catharticis in omni casu curationem incipiamus. Quando enim ab haemorrhagia nimia, venere immodica, aliisque modum transgressis euacuationibus, febris nostra originem traxerit, quid euacuantia vel diaphoretica valerent? hinc pro indiuiduorum, caussarumque occasionalium ratione atque diuersitate, medela facienda, cuius quidem regulae in therapia generali copiose traduntur.

§. XLVI.

Venaesectionem haec febres etiam tolerare posse, ex magno medicorum consensu negatur, etiam si

- 1) GLASS *Comment. XII. de febris* ex edit. BALDINGERI p. 105.
2) WHYTTI *sämtl. zur practisch. Arzneiwissenschaft. gehörige Schrift.* S.
2) STOLL *praefationes in diuersos morbos chronicos*, Vol. II. praefatio.

iamsi tum e symptomatum consideratione, tum e ca-
dauerum sectionibus, de cerebri meningum inflam-
matione mentionem fecerint cl. WILLISIVS et HOME;
haec tamen pro effectu potius, vel statu quodam
complicato habenda est, praesertim cum et iidem
auctores venae sectionem cautissime adhiberi volue-
rint x), cuius damna nouissime exposuit etiam cl.
SELLE y).

§. XLVII.

His veto nil proficientibus, vel si serius accer-
fatur medicus, quum aeger iam stupidus, peruigilio,
delirio, tendinumque subsultu vexatus iaceat, vitae-
que vires penitus iam fractus esse ostendant sympto-
mata, tunc omnibus, ommissis de sustentando vitae scin-
tillo cogitandum; quod leniter diaphoreticis, cardia-
cis, alexipharmacis haud raro obtinetur. Huic scopo
fatisciant, vesicatoria, epispastica, vinum gene-
rosum, vel merum, vel lactis sero dilutum, rad. con-
trayeruae, serpentariae virginianae, angelicae, herb.
rutae, scordii, cortex Peruvianus, camphora, Sal.
volat. CC. puluis Doweri, tinctura cantharidum,
multaque alia, quae genus neruosum irritando, hu-
moresque incidendo et diluendo, sanguinis circui-
tum promouent, vim vitae fatiscentem sustentant,
sudoremque tepidum, vniuersalem, cum pulsu pleno
et vnduloso procreare valent.

§. XLVIII.

x) RAHN l. c. p.

y) Neue Beiträge zur Natur- u. Arzneiwissenschaft, Th. I. S. 85.

§. XLVIII.
 Vesicatoria, nisi summa humorum putredo prohibeat z), statim quandoque ocys applicanda sunt, antequam aeger lecto sese committere cogatur, et nervosi systematis perturbationes ita fuerint adauctae, ut visus, auditus, caeteraque sensus instrumenta acutiora multo et irritabiliora facta fuerint; quo quidem in casu nil nisi omnium symptomatum ingrauescentiam, neruorumue adiecto stimulo irritationis augmentum inferrent. Neglectis ergo morbi initio vesicatoriis, ab iis penitus abstinendum, donec aegri stupor, sensuumque insensibilitas eorum usum permittat a). Tunc quidem pro ratione partis affectae, morbiq; indole, varius iis locus eligendus. Quum enim spiritus difficultas, stupor, aliaque in morbi statu accedunt, meliorem edunt effectum, si extremitatibus applicantur, quam trunco, aut parti affectae. „Sic enim maiore in gradu stimulando, vires vitae excitant, si extremitatibus, quia in his circulatio primo peccat, in morbis maxima debilitate orientibus applicantur“, nec raro quatuor emplastris vesicatoriis simul extremitatibus applicatis, aegros restitutos fuisse commemorat CL. DEMIANI b), ex cuius quoque consilio, dum partialis metuitur inflammatio, seu stupor vel coma vrgent, optimo cum successu occipiti admouentur.

§. XLIX.

z) HVXHAM l. c. STOLL var med. II. p.

a) MACBRIDE Systematische Einleitung in die theoretische u. praktische Arzneikunst, Th. II. S. 495.

b) Aduersaria de febre lenta nervosa etc. in BALDINGERI Sylloge opusc. Vol. IV.

§. XLIX.

Hoc vero maxime tenendum, vt in eorum vsu tam diu modo pergatur, donec cutis rubor et ardor, irritationem factam esse declarat; ne suppuratio vel gangraena, maioris irritationis effectus, sequatur. Quem in finem ergo epispastica quoque e femine sinapis, fermento panis et aceto, vel rad. armorac. parata, inferuiunt. Sin vero, dum a pedibus aegri detrahuntur, haec nimis acria et vellicantia esse remedia cognouerimus, tunc, iis remotis, emollientibus locus dolens fouendus cataplasmatibus c).

§. L.

Quamuis vero vesicantia et epispastica vim vitae, irritatione sua, per breue tantum temporis spatium durante, excitare quidem, minime tamen conseruare et sustinere possunt, nisi ceterorum remedium, quorum supra exhibuimus catalogum, vsus et effectus accedant; hinc iis solis, quam male confusus sit cl. HOME d), abunde perspiciamus atque intelligimus.

§. LI.

Proximum ergo in curatione locum sibi vindicat vinum vetustum et generosum, vt illud de Madeira, Malaga, Rhenanum, vel Portugallense, ab Anglis *red Port* dictum, aequali aquae portione dilutum,

c) MACBRIDE l.c.

d) l.c.

lutum, parcaque dosi exhibitum, donec eius effectu obseruato, de maioris quantitatis secura exhibitione minime dubitemus. Quum enim pulsus antea celer et inaequalis, in lentiozem et aequalem, vel debilis, lentus et vermicularis, in pleniorem, citatiozem et fortiorem mutetur, tum et merum, et dosi maiori, concedi potest; quid? quod aegrum se vidisse meminit iam supra laudatus DEMIANI, qui duas vini rubri red Port mensuras, sine vlllo ebrietatis signo de die assumerat e).

§. LII.

Eadem ferme ratione et *Camphora* experientia quidem teste medicorumque auctoritate, ager. Stimulat enim, humores ad cutis superficiem propellit, perspirationem promouet, somnum procreat, putredini resistit, resoluit, discutit, spasticosque morus tollit. Eheu quanta eius vis! quanta in vfu praestantia! se potius medicum esse nolle, quam ea carere, affirmat Exp. SELLE, HOMII experimenta recensens atque perstringens f).

§. LIII.

Idem de caeteris quoque valet remediis. Serpentinae vires in neruosis acutis iam promulgauit cl. PRINGLE g). Angelica, Contrayerua, sal volatile C. C. et suos quoque habent laudatores. Pedum fomentationis eximium successum tentauit cl. HOME, eoque

e) l. c.

f) Neue Beyträge zur Natur u. Arzneiw. Th. I. S. 71.

g) Von den Krankheiten der Armee, üb.:f. von Brand. S. 370.

eoque auctore somnum conciliant, cutem aridam
 madefaciunt, et sudore tantum symptomatico vr-
 gente nocent, vel si eorum calor centesimum ther-
 mometri FAHRENHEITIANI gradum non excedat,
 minusque irritat, quam laxat et emollit. His prin-
 cipis nititur quoque vsus balnei calidi, quod cele-
 brarunt GILCHRISTVS et PRISSETVS *h*), et quem
 summa semper veneratione et pietate nomino cl-
 SELLE *i*).

§. LIV.

Horum quidem vsu tam diu pergendum, do-
 nec pulsus elatio, tepidus cutis sudor, delirii, cae-
 terorumque symptomatum imminutio et cessatio,
 vim vitae restitutam, aegrumque seruatum esse do-
 ceant. Fit quidem quandoque, vt optimis quibus-
 cunque adhibitis cardiacis et alexipharmacis nil pro-
 ficiatur; at tum omnia vero naturae medicatrici
 committenda, nec penitus de aegri salute et conser-
 uatione desperandum; nunc enim sudore vniuersali
 critico, nunc ptyalismo, vel miliarium eruptione
 perficit, quod ars medica frustra tentauerit. Caute
 faciat ergo prognosin medicus, famae suae consu-
 lens; declaret quidem periculum, nec vero omnem
 naturae viribus fretus adimat spem amicis et adstan-
 tibus. Qui si enim, quod quidem crudele, fato
 com-

*h) Versuche und Bemerkungen aus der Arznei- und Wundarzneikunde,
 übers von Möller, S. 65.*


i) Neue Beyträge zur Natur- u. Arzneiw. Th. III, S. 88.


committeret aegrum, et anicula, agyrta, medica-
ster vel alia Serapionis famosa proles accedens, duo
tantummodo vel tria simplicissimae aquae destillatae
cochlearia propinaret, et natura opitulante crisis
fortuito eueniret, quanta medici contumelia, quanta
saluberrimae artis criminatio inde nasceretur, dicere
non ausim k).

k) LANGRISH *the modern theory and practice of physick*, S. 321.
p. 202.









12

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
DE
FEBRE NERVOSA LENTA



QVAM
PRAESIDE
MAGNIFICO ACADEMIAE RECTORE
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,
PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVICAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE,
ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,

D. OCTOBRIS CIDICCCXC.

PRO

GRADV DOCTORIS MEDICI
SVMMSIQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS
IMPETRANDIS

PVBlice DEFENDET

AVCTOR

ISAAC LEVI,
REGIOMONTANVS BORVSSVS.

TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.